


evang.

996



Theol. litter. protom 64-8







Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a series of entries, possibly containing names and dates. The ink is very light and difficult to discern against the aged paper.



3  
DISPVTA  
TIO OCTAVA,

DE PAVLINA PHRASI  
ET SENTENTIA, AB INI=

TIO TERTIÆ CAPITIS  
EPISTOLÆ AD  
ROMANOS.

PRAESIDENTE ALEXAN=

DRO ALESIO SACRÆ  
THEOLOGIÆ  
DOCTORE.

Mense Maio.

LIPSIÆ APVD VALENTINVM  
PAPAM.

ANNO M. D. L.

Mobili, et Clarissimo Viro Dno



DISPVTA

TIO COGNAVA

DE PAVLINA PHRAZI

SENTENTIA AB INI-

TO TEXTU CAPITIS

EPISTOLAE AD

ROMANOS.

PRAESIDENTE ALEXANDRO

ALBERTO SACRAE

THEOLOGICAE

DOCTORIS

et

Magistro

et

et

et

et

et

et

et

et

Handwritten signature and text at the bottom of the page, including the name 'Hobelt' and 'Prof. Dr. C. G. G. G.'.



DISPUTATIO OCTAVA DE  
PAVLINA PHRASI ET SENTENTIA, AB INITIO TERTII  
capitis epistolæ ad Romanos.

**P**RODEST AD INTELLIGENDAM Paulinam phrasin in hac epistola cognoscere genus orationis.

Ut enim Prophetæ & Christus in Euangelio docent disputando, & dialogo utuntur, in quo populus cum doctore disputat: Ita etiam Paulus præuenit omnia, quæ contra ipsius doctrinam possunt opponi. Ideo in tertio capite primo respondit ad difficilem quæstionem, quæ oritur ex illa exæquatione Iudæorum & gentium, in qua dixit Iudæos non iustificari per circumcisionem, & alios cultus aut opera legis.

Cum enim omnes homines per rationem iudicent, finem legum esse iustitiam, hic cuilibet in mentem uenire poterat hæc quæstio, Cur igitur data est lex, si non iustificat? qua in re



Iudæi antecellunt gentibus, & unde ipsi potius dicentur populus dei, quam gentes, si non sunt iusti per obseruationem legis?

Hic Paulus responsionē ita temperat, ut tribuat Iudæis suas prærogatiuas, ut tamen retineat suam propositionem, quod non sint iusti per obseruationem legis.

Ait Iudæos antecellere gentibus, & habere insignē prærogatiuam, uidelicet quod promissiones de Christo eis concredite sint, & tanquam depositum consignatæ in sacris libris Prophetarum, & primo pertineant ad semen Abrahamæ.

Hæc est præcipua prærogatiua Iudæorū, cui inserviunt constitutio politia, promulgatio legis, & alia, quas enumerat in principio noni capituli.

Docet igitur quare constituta sit politia Iudaica, & quis sit finis ceremoniarum.

Hypocritæ iudicabant se per illas gloriari posse de iustitia coram deo, Sed Paulus hanc imaginationem refutat, & docet hunc fuisse finem politia totius, quod deus uoluerit certam sedem esse ecclesie, in qua sonaret & conseruaretur promissio de Christo, & ubi Christus nasceretur, doceret, pateretur, & resuscitatus inchoaret æternum regnum.

Quia autem gentes laudem Iudæorum moleste ferebant, & obijcere poterant nihil promissiones

missiones



missiones profuisse Iudæis, quia semper fuerunt increduli, & Christum crucifixerunt, breuiter ad hæc respōdet, et quasi antipophora abrumpit quæstionem opposito dilemmate ducente ad impossibile.

Quid enim, inquit, inde colligis, quod aliqui eorum fuerunt increduli, nunquid eorum incredulitas fidē dei irritam faciet? id est, nunquid aliquorum perfidia nocebit omnibus, aut faciet deum fallere fidem & irritam promissionem? Imo contrarium sequitur, scilicet: Esto deus uerax, omnis autem homo mendax.

Negat enim hanc consequentiam, maior pars fuit incredula, Igitur Iudæi nullam habent prærogatiuam ex concreditis promissionibus, Vel deus non seruauit suas promissiones factas Iudæis: Et proponit nobis necessariam consolationem qua sustentemus fidem ruente impia multitudine, ac statuamus Deū seruaturū esse promissiones factas ecclesiæ, nobis qui credimus, etiamsi plurimi furenter contemnunt deum, & diffidant promissioni.

Sic infra ait promissiones dei huiusmodi esse, ut eum pœnitere harum non possit, Et Psalmus inquit: Iurauit dominus & non pœnitebit eum. Et Esaia 52, Montes mouebuntur, & colles contremiscent, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur.



Consolemur igitur nos contra horrendum  
scandalum defectionis multitudinis, & contra  
hanc grauissimam tentationem: putas te curæ  
Deo esse præ alijs hominibus, & tot sapienti-  
bus atq; præstantibus uiris? & certo statuamus  
promissionē Dei ratam & firmam esse creden-  
tibus, sicut in sequente capite ait, Ideo ex fide  
ut firma sit promissio.

Sed hic facit Anthitesin, ut confutatio sit  
illustrior, & firmior consolatio, Deus adeo  
tenax est promissionum suarum, ut præstet,  
etiamsi omnes homines sint mendaces, id est,  
esto nullus hominum deo fidem seruet, nemo  
præstet deo quæ promittit, & debet præsta-  
re, tamen propter hanc causam Deus non re-  
scindit promissiones suas, quia non pendent  
ex hominum fide, dignitate, uel meritis, sed  
ex gratuita, & mera misericordia, adeo ut ue-  
ritas, id est, fides dei in præstandis promissio-  
nibus fiat illustrior, ex eo quod constat omnes  
homines esse indignos, sicut infra ait: Conclu-  
sit deus omnes sub incredulitatem, ut omnium  
miseretur.

Confirmat autem hanc sententiam ex uersu  
Psalmi: Tibi solum peccaui, & malum coram  
te feci, ut iustificeris in sermonibus tuis, &  
uincas cum iudicaris, id est, declareris iustus  
in præstandis promissionibus, dum has non re-  
scindis propter mea peccata, quæ ad te tantum  
affero.



affero.

Inest autem huic testimonio hæc collectio, Si David, cui facta est promissio de Christo, fatetur se tantum peccata ad deum afferre, Igitur promissio nulli contingit propter merita, neq; pendet ex dignitate fidei nostræ, uel aliorum operum.

Grauißima igitur est in hac sententia doctrina, omnes homines tantum ad Deum afferre peccata, & hypocritas iniuste accusare Deum, cum queruntur se iniuste puniri, aut grauius quam pro merito, aut deserri in iustis causis, ut non solum tragica exempla, Saulis, Herculis, Catonis, & aliorum, sed etiam desperationes multorum quotidie ostendunt, qui fracti doloribus deficiunt a deo, quia non cito iuuantur.

Contra, pij hinc discant consolationem, & cum Davide Deum inuocet, fateantur suam indignitatem, & petant ut deus declaret, se uere audire ad se confugientes, iuxta suam promissionem, ut impij & hypocritæ ex eorum liberatione conuicti, cogantur fateri eum iustum & ueracem esse in præstanda promissa misericordia, propter filium, sicut Daniel orat: Non in iustificationibus nostris prosternimus preces nostras in conspectu tuo, propter te metipsum, & propter dominum exaudi. Et Hiob inquit: Vere scio quod non iustificetur



homo comparatus deo. Etiam si occiderit me  
in eo sperabo, ueruntamen uias meas in conspe  
ctu eius arguam, & ipse erit saluator meus,  
nec ueniet in conspectu eius omnis hypocrita,  
id est, qui non agnoscit peccatum & confidit  
sue iustitiae.

Hæc prædicatio indignitatis humanæ, &  
promissionis seruatæ incredulis, cogit Pau  
lum excurrere, & obiurgare blasphemos, qui  
ita colligunt, si nostra iniustitia Dei iustitiam  
commendat, quid dicemus? id est, nunquid sic  
colligemus, igitur Deus iniuste nos punit, hu  
mano inquit more loquor, id est, ita homines  
per rationem colligunt.

Vt autem Pharisei hæc absurda acerbè ex  
agitarunt, si gloria dei fit illustrior, quia re  
cipit gentes Idolatras, quare irascitur Iudæis?  
quandoquidem gentibus profunt peccata, ut  
amplitudo misericordiæ sit illustrior propter  
nostram infirmitatem? Ita nunc sapientes ho  
mines, qui ægre ferunt extenuari disciplinam,  
& operibus nostris detrahi meritum uitæ æ  
ternæ, ac causantur laxari frena licentiæ, sic  
colligunt: Si iustitia humana non meretur re  
missionem peccatorum, & uitam æternam,  
quid prodest coercere cupiditates magno la  
bore? cur non potius indulgemus uoluptatibus  
quas humana infirmitas maxime expetit?

Paulus respondet primo per inficiationem,  
& negat



Et negat consequentiam, igitur deus iniuste punit eos qui peccant. pessima enim est collectio, Deus ignoscit sceleratissimis quibuscunq; agentibus poenitentiam, et fide complectentibus gratuitam misericordiam Christi, igitur est iniustus, q; irascitur impijs Phariseis supbi-entibus de suis meritis, et condemnantibus doctrinam Euangelij. Vtriq; enim sunt peccatores Iudaei et gentes, ideo Deus non est inaequalis, utrosq; damnans, et recipiens ex utrisq; confugientes ad filium: vult enim beneficium gratuitum esse, alioqui nemo id consequeretur, cum omnes afferant peccata. Sed palam scelerati prius agnoscunt peccata, quam superbi Pharisei, qui confidunt suae iustitiae per obseruationem legis.

Deinde respondet per inuersionem, nam quomodo deus iudicabit mundum, q. d. Imo deus esset iniustus, si non puniret sceleratos, qui non agunt poenitentiam, nec obediunt Euangelio. Ita enim supra comminatus est inobedientibus, et contentiosis contra Euangelium, iram in die irae, et reuelationis iusti iudicij dei.

Et vitiosa prorsus est collectio hypocritarum, quam repetit, si ueritas dei per meum mendacium illustris fuit ad gloriam ipsius, cur ego iudicor esse peccator? Fallacia enim est non causae ad causam, sicut illa in septimo ca-



pite. Quid igitur dicemus, peccatum abundauit per legem, Igitur lex mala est, & causa peccati? Nihil, inquit Augustinus, tam malum est, quin ex eo eliciat Deus bonum. Ipse enim malitiam humanam conuertit ad declarandam suam iustitiam cum punit obstinatos, & gloriam gratuitæ misericordiæ in agentibus penitentiam, & credentibus Euangelio. Sed istud diuinæ sapientiæ & bonitati debetur, humane uero malitiæ nihil aliud debetur, quam æterna mors, & pœnæ infernales, quas Paulus hic minatur blasphemis, quorum uoces exprimit cum addit:

Ac non potius, subaudi, loquemur, quemadmodum blasphemi de nobis male loquuntur, & cur non dicemus, sicut quidam aiunt nos dicere, Faciamus mala, ut ueniant bona, quorum inquit, damnatio iusta est, id est, ipsi hac sua blasphemia declarant eorum damnationem esse iustam, qui deterrent homines à doctrina gratuitæ misericordiæ, hac ipsa uenenata calumnia.

Cum sic obiurgasset Paulus blasphemos, repetit questionem, quid igitur præcellimus eos? Et ut intelligatur Pauli consilium, considerandum est quod ante probauit ex Davide, homines tantum asserre peccata ad Deum, hæc est occasio repetitionis: si ad Deum tantum peccata asserunt Iudæi & gentes, qua igitur in re

tur in re



tur in re Iudæi antecellunt gentibus? scilicet  
in laude iustitiæ & merito iustificationis.

Hoc esse Pauli consilium, & sententiam  
quæstionis, manifestum est ex responsione, ni-  
hil omnino, scilicet præcellunt Iudæi gentibus  
quantum ad iustitiam coram Deo attinet. Et  
repetitur exæquatio cum eius rationibus su-  
pra positis in 2 capite: Omnes Iudæi & græci  
sunt sub peccato.

Tribuit enim  $\kappa\alpha\tau\alpha\ \pi\alpha\sigma\omega\tau\omicron\upsilon\iota\iota\alpha\ \mu\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon\tau\epsilon$  pecca-  
to personam Regis, sicut infra 6 capite, qua  
figura significat totum humanum genus sub-  
iectum esse tyrannidi diaboli propter pecca-  
tum, & reum æternæ mortis. Sic enim Chri-  
stus hanc figuram sermonis exponit Ioan. 8.  
Qui facit peccatum, seruus est peccati. Obser-  
uanda est autem uniuersalis particula, omnis,  
& addenda utriq; parti subiecti, ne putemus  
aliquos inter Iudæos aut inter gentes præstan-  
tes uiros fuisse iustos proprijs uirtutibus, &  
intelligenda est uniuersalis non tantum de pec-  
cato Originis, sed etiam de actualibus delictis,  
sicut ipse se infra exponit, cum inquit, ex ope-  
ribus legis non iustificabitur omnis caro corã  
Deo.

Postquam autem propositionem uniuersa-  
lem, Reuelatur ira Dei de cœlo aduersus impi-  
etatem & iniustitiam omnium hominum, expo-  
suisset per distributionem, & probasset gen-  
tes esse



tes esse reas impietatis & iniustitiæ omnis generis per legem naturæ, & deinde Iudeos accusasset ex decalogo, & monstrasset deteriores esse gentibus: iam ex utroq; membro distributionis probato, colligit rursus uniuersalem, & quasi conclusionem infert, cum inquit, Nam ante causis redditis probauimus omnes Iudeos & gentes sub peccato esse.

Propositionem sic repetitam in conclusione, confirmat ex Prophetarum testimonijs, in quibus hoc obseruandum est, quod in accusatione obseruet ordinẽ præceptorum primæ tabulæ.

Primum præceptum docet de uera notitia Dei, & cura cognoscendi Deum, iuxta uerbũ & testimonium. Deinde de perfecta conuersione uoluntatis ad Deum, uel de timore, fide & dilectione. Ideo Paulus incipit: Non est intelligens, aut requirens deum, omnes declinauerunt, scilicet, à uia mandatorum dei ad uitam sceleratorum. Sic enim de lege loqui solet Propheta: Beati integri in uia, qui ambulant in lege domini. Beatus uir qui non accedit ad concilium impiorum, & in uia sceleratorum non perstat. Et Christus in Euangelio, Arcta est uia, quæ ducit ad uitam. Psalmus in Hebræo sonantioribus & acerbioribus uerbis ait: Dixit stultus in corde suo non est Deus, corruerunt studia sua, & abominabilia fecerunt, non est qui intelligat aut requirat Deũ.

Omnes



Omnes igitur homines natura sunt Epicu-  
rei, & cum Hecuba apud Euripidem dubitan-  
tes quid sit deus, sic inuocant, O Iupiter quis-  
quis es, difficilis cognitu, qui terram regis siue  
necessitate natura, siue consilio. Hæc dubita-  
tio communis est omnium qui ignorant Euan-  
gelium.

Quod autem addit, Simul inutiles facti sunt  
non est qui faciat bonum &c. docet homines  
neq; Deum, neq; proximum diligere, neq; ea  
quæ pertinent ad gloriam Dei, uel salutem ali-  
orum hominum cogitare, loqui, aut facere,  
& simpliciter neq; Deo ad illustrandam suam  
gloriam, neq; proximis mente & animo, uoce  
& opere utiles aut usui esse, adeo ut utrisq;  
quantum possunt studeant nocere, sicut mox  
additurus est.

Interim obseruandum est quod docet, ab  
hac regula uniuersali, Omnes gentes & Iudæi  
sunt sub peccato, nullam esse exceptionem, a-  
deo ut ne unus quidem sit in toto genere huma-  
no, qui contra hanc accusationem possit oppo-  
nere exceptionem. Nam hebraica sic uerten-  
da sunt, Non est qui faciat bonum, ac ne unus  
quidem.

Vt autem ex commemoratis uersiculis psal-  
mi, detrahit hominibus gloriam iustitiæ &  
bonis operibus, & probat eos esse inutiles  
Deo, & proximis, neq; intus in animis, neq; fo-  
ris coram



vis coram hominibus bonis operibus, quæ lex  
requirit, glorificare Deum, bene uelle proximi-  
mis aut eos iuuare: ita in sequentibus uersiculis  
docet omnes homines esse impios, & iniustos  
ex peccatis lege Dei prohibitis. probat enim  
eos uoce & lingua, manibus & externis ope-  
rationibus contumelia afficere nomen Dei, &  
animas & corpora proximorum occidere: Se-  
pulcrum, inquit, apertum est guttur eorum,  
id est, ore & uoce, quibus debent glorificare  
Deum in uera doctrina & gratiarum actione,  
ac inuocatione, ut iubet altera lex decalogi:  
ita abutuntur ad blasphemiam nominis Dei, &  
perdendos homines per falsam doctrinam, menda-  
cia, & falsa testimonia, ut guttura eorum sint  
sicuti sepulcra, in quibus uiui homines sepeli-  
untur: lingua quæ data est homini ad dicendam  
ueritatem, abutuntur ad dolos, neq; aliter suis  
ueneratis linguis nocent, quam aspides, omni-  
um uenenatorum uenenatissimi, neq; tantum assu-  
munt nomen Dei in uanum, & p fide piurant ad  
contumeliam Dei & decipiendos homines, Sed  
etiã maledicunt Deo & hominibus amarulen-  
tissimis maledictis.

In secunda tabula nominatim accusat homi-  
nes peccati, omnium in illa grauissimi, & quod  
maxime cum humanitate pugnat, scilicet homi-  
cidij. Et quamuis accusatio pertineat ad om-  
nes, tamen ex eo reos precipue uult agere il-  
los, qui



los qui omnium sanctissimi dici uolunt, Hipocritas, scribas, & phariseos, seniores populi, & principes sacerdotum: pingit enim ἡ ἄνω τὴν ὄψιν conspirantes, consultantes, concurrentes uelocissime ad atrium pontificis, & prætorium Pilati, in urbe, & foris ad supplicium Christi hos sanctissimos & religiosissimos patres, cum impia multitudine illis adherente, sicut Psalmus. 2. Quare tumultuantur gentes, & populi disputant uane, Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt unam aduersus dominum & Christum suum.

Experientia didicit Saulus ille, spirans minas, & cædes in discipulos domini, quam atrox odiū sit pharisei & iustitiarum aduersus confitentem doctrinam de gratuita misericordia Christi, & abrogantem traditiones maiorum. Ideo non contentus profligasse Christianos ex Iudæa, petit etiā literas à principibus sacerdotum in Damascum, ut apud exteras gentes seuire possit in membra Christi. Quare hic nominatim addit de illo acerbissimo Pharisæico odio, & insatiabili siti sanguinis piorum, ueloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Huc pertinet illa accommodatio, Scimus quod quæcunq; lex loquitur, ijs qui in lege sunt loquitur, ne sanctissimi patres, principes sacerdotum, scribæ, & pharisei, adeoq; Iudæi, qui

dæi, qui



dei, qui populus Dei dici uolebant, & gloria bantur de iustitia coram Deo ex obseruatione legis, hanc criminationem à se reijcere, & ad ethnicos transferre possent.

Sed nos ad nostra tēpora & doctrinā accō modēus & agnoscamus uim uniuersalis ppositi onis iterū repetitæ, ut ōne os obturetur, & to tus mundus subditus fiat Deo, propterea quod ex operibus legis non iustificabitur omnis ca= ro coram eo, agnoscamus nos reos esse, & fu= giamus Phariseorum commentaria, qui uni= uersalem exponunt ὅτι οὐκ ἐκ νόμου, & Pe= lagianorum, ac monachorum deliramenta, qui fingunt hominem sine peccato esse, & posse legi Dei satisfacere. Abhorreamus à sophista= rum absurdissima interpretatione, qua Pauli uniuersalem eludere conantur, affirmantes hanc sententiam: Non iustificabitur omnis caro in conspectu eius ex operibus legis, intelli gendam esse de ceremonijs, & non de lege mo rali.

Sed hæc sophistica facile refutatur ex Psal mo, unde Paulus suam doctrinam de iustifica= tione mutuatus est: Domine exaudi orationē meam, auribus percipe obsecrationem meam, in ueritate & iustitia tua, & non intres in iu= dicium cum seruo tuo domine, quia non iusti= ficabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Hæc non possunt torqueri ad solas ceremonias, ad  
quas omnes



quas omnes uiuentes nō tenebantur, neque omne os potuit obturari ex ceremonijs, quia gentes quas per legem probauit sub peccato esse opposuissent apologiam. Nemo etiam sic desipit, ut non intelligat ea quæ præcesserunt, Non est intelligens aut requirens Deum, et ea quæ sequuntur, citari a Paulo, ut probet omnes homines reos esse uiolati decalogi, & peccatorum contra primam tabulam. Præterea nemo est qui ignorat, Moisen ipsum discernere Legem a iudicijs, & ceremonijs. Postremo Paulus ipse hanc sophisticā refutat, cum addit: Per Legem agnitio peccati. Et in 7. capite: Peccatum non cognoui nisi per Legem: Nam concupiscentiam nesciebam esse peccatum, nisi lex dixisset, non concupisces.

Omissa igitur hac sophistica, quæ est à diabolo excogitata in odium filij Dei, cuius propriam gloriam gratuita misericordiæ aduersarius Christi uult homines deferre operibus manuum suarum, sciamus Paulum iam remissa contentione contra contentiosos Iudæos, incipere placide concionari de usu Legis in conscientia & corā Deo.

Hactenus enim acerrima contentione, magna uis, & mole argumentationum, insertis etiam comminationibus probauit omnes gentes & Iudæos sub peccato esse, & iram Dei de cælo reuelari aduersus omnem impietatem & iniustitiam

B

iniustitiam



iniustitiam hominum, eosq; ἀναπολογήτους  
esse p̄ legem moralem, natura cognitam gen-  
bus & traditam in decalogo Iudæis: hic accom-  
modat accusationem ad doctrinam Ecclesiæ,  
& tacite respondit ad quæstionem, Si Lex non  
iustificat, cur igitur lata est, aut quis est  
usus Legis? Ad hæc respondit Paulus, & do-  
cet longe alium esse finem Legis Dei, quam le-  
gislatores Athenienses, uel Lacedemonij, uel  
Romani per suas leges quærunt, aut intelli-  
gunt. Cum enim omnes legislatores pronun-  
cient finem Legum esse iustitiam, & iniustitiæ  
cohercionem: Paulus contra docet, Lege Dei  
non tolli peccatum, sed augeri, & hunc esse  
usum Legis in conscientia agente cum deo, ut  
monstret, id est, accuset & damnet peccatū,  
Per Legem, inquit, est agnitio peccati.

Duplex enim est usus Legis, unus est poli-  
ticus, seu philosophicus uel pædagogicus in  
iniustis & impijs, scilicet cohercere disciplina  
externam Legis uiolationem, sicut Paulus ali-  
às inquit: Lex iusto non est posita, sed iniu-  
stis. Nec tantum Lex Moisis talis erat pæda-  
gogia, sed omnibus temporibus Lex nature  
iusta imperia magistratum & parentum: Et  
uera philosophia talis est pædagogia frenan-  
dorum affectuum.

Etsi autem hac ipsa disciplina post nature  
corruptionem nihil in humana uita pulcrius  
sit, & uere



sit, & uere dixerit Aristoteles, iustitiam He-  
spero & Lucifero esse formosiorē : tamen  
sciendum est hanc disciplinam non satisfacere  
legi Dei, quæ requirit p̄fectā cordis & omniū  
uirium uoluntariam, & non coactam obediē-  
tiam, nec de ea Paulum hic loqui.

Alter usus est in conscientia agente cū Deo,  
uidelicet, testari deum uere irasci inobediē-  
tiæ nostræ, securitati, cæcitati, dubitationi,  
diffidentia, *ἄλλοτρίῃ, ἐπιθυμίῃ*, & infinitis  
furoribus, quos non agnoscimus, nisi cum ac-  
cusationem Legis inter angustias cogimur au-  
dire, & deprecari iram Dei, Sicut David per-  
terrefactus sensu iræ Dei orat: Domine ne in  
ira tua arguas me, neq; in furore tuo corrip-  
as me: Miserere mei domine, quia imbecillis  
sum, & tremunt omnia ossa mea. Hæc enim  
emphasis est in uerbis Pauli, per Legem agni-  
tio peccati. Sicut infra docet, cum ait, Lex i-  
ram operatur, Item Lex occidit &c.

Necesse est autem uolenti intelligere hanc  
Pauli disputationem, habere in conspectu to-  
tum corpus orationis, & scire quæ sit princi-  
palis propositio, quæ accessoria, & ubi ab  
instituto digreditur, & quousq; & ubi redit.  
Supra autem mox post exordium constituit  
principalem propositionem, in qua est status  
totius disputationis, Iustitia Dei reuelatur in  
Euangelio, ex fide, & eam ex testimonio Pro-

B 2                      phetæ con-



phetæ confirmauit, Iustus ex fide uiuit: Deinde illustrauit Anthitesi, Reuelatur ira dei per legem aduersus omnem impietatem & iniustitiam hominum, qua copiose & abunde comprobata, redit ad principalem propositionem, Nunc iustitia dei sine lege patefacta est per fidem in Christum Ihesum. Est q; summa propositionis, donari credentibus in Christum iustitiam, id est, remissionem peccatorum, & reconciliationem ceu acceptationem ad uitam æternam, per misericordiam propter Christum, non propter Legem, nostras uirtutes, aut operationes.

Sic autem exponenda est propositio: Nunc autem, id est, post exhibitum Christum, in tempore accepto, & die salutis, sicut alibi ait, & infra capite 12. Nox præcessit, dies autem appropinquauit: sine lege, id est doctrina quæ requirit perfectam obedientiam erga legem: Iustitia dei, id est, coram deo reuelata est, in Euangelio, sicut supra dixit, Non pudet me Euangelij, Iustitia dei in eo reuelatur.

Sed quia uidebat ex dicto, sine lege, oriri hanc questionem, Ergone iustitia dei patribus fuit ignota? quomodo igitur ij, qui ante Apostolos 4000 annorum fuerunt, sunt seruati? an tunc fuit alia Dei iustitia? Ideo priusq; propositionem absoluat, præuenit hanc questionem, & docet promissionem gratuite reconciliationis

conconciliationis



conciationis per fidem in Christum & cognitam fuisse omnibus pijs ab origine mundi, & se id probaturum esse, ex Prophetarum testimonijs significat, simulq; monet nullam novam doctrinam ignotam veteri Ecclesiae recipiendam esse, ac eodem consilio ante dixit, Euangelium promissum esse per Prophetas in scripturis sanctis, & infra ex Genesi probat Abraham fide iustificatum, & ex Davide beatitudinem pij hominis esse remissionem peccatorum.

Scolastici docuerunt in particulis priuatis, sine & absq; esse distributionem, quod si agnoscunt, ipsi sua ora uerberant, et arguunt se ipsos criminis falsi, cum interpretantur hanc sententiam, sine Lege, id est, sine ceremonijs: quandoquidem hæ æquivalent, sine Lege, & se posita omni Lege, morali, iudiciali, & ceremoniali: Sed quicquid ipsi confingant Paulus docet se de tota Lege loqui, cum addit, Testificata à lege & prophetis. Nemo enim tam proteruus est, quin fateatur legem cum à prophetis distinguitur, significare totum Mosen, & cum non distinguitur à prophetis, complecti totam doctrinam ueteris testamenti, sicut in illa sententia, Scimus quod quaecunq; lex loquitur, ijs qui in lege sunt, loquitur. Id enim priora testimonia citata ex Psalmis & Esaia conuincunt, & Volgarius isthic annotauit.



Attexit autem illa, quæ defunt propositi-  
oni, quasi exponens quæ sit illa iustitia Dei,  
quæ patefacta est in Euangelio, Iustitia inquit  
Dei per fidem Iesu Christi, q. d. Illa iustitia Dei  
patefit in Euangelio, qua declaratur ipse iu-  
stus, & uerax in præstita promissione gratui-  
te misericordie indignis, & qua iustificat cre-  
dentes in Christum per fidem, & fiduciam pro-  
missionis. Sic enim supra dixit, Iustitiam Dei  
per meum mendacium abundare in gloria i-  
psius, & infra ait, ut sit ipse iustus, & iustifi-  
cans eum qui est ex fide Iesu. Et quod addit,  
per fidem Iesu Christi, id est, fiduciam in Ie-  
sum Christum, docet hanc iustitiam esse credi-  
tam, non esse redditam à nobis, uel credi, non  
inherere, & discernit iustitiam fidei à iustitia  
formali, & iustitiam ex fide, à iustitia ex cha-  
ritate & alijs uirtutibus. Docet enim iustitiã  
Dei, uel oblatam à Deo, in doctrina & promif-  
sione Euangelij sola fide, ceu manu accipi, &  
applicari ad personam credentem: Ideoq; so-  
la fide hominem iustificari, id est, accipere  
remissionem peccatorum, non charitate aut  
alijs uirtutibus, nam promissio sola fide acci-  
pitur. Deinde hanc fidem & fiduciam in Ie-  
sum Christum imputari homini pro iustitia,  
non habere hominem formalem iustitiam, in-  
herentem ex proprijs uirtutibus infusis, uel  
acquisitis, aut impletione legis.

Neq; enim



Neq; enim est Tautologia, in omnes & super omnes, si recte distinguas & intelligas, Sic autem Græcus textus distinxit δικαιοσύνην θεοῦ διὰ πίστεως Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς πάντας, ut intelligas iustitiam Dei esse in omnes per fidem Iesu Christi, uel fiduciam in Iesum Christum, quæ est in hominibus, imputari ipsis pro iustitia, & hanc eorum fidem esse iustitiam coram Deo, & eos hac fide iustificari ab ipso: Deinde addit καὶ ἐπὶ πάντας τοὺς πιστεύοντες, ut agnoscas hanc iustitiam esse supra credentes in diuina imputatione positam, non in ipsorum meritis sitam, aut dignitate ipsius fidei, sed in misericordia Christi, quæ fide accipitur, & sicut Psalmus ait, hanc misericordiam domini super nos confirmatam, & ueritatem promissionis in æternum manere: uel sicut alius Psalmus inquit, Latentur in te omnes qui sperant in te, quoniã tu benedices iusto, domine ut scuto beneuolentia tua coronasti nos. Sic enim Paulus hanc figuram orationis infra exposuit ex Psalmo, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus uir cui non imputabit peccatum. Et in 5. capite ait, nos tegi ab ira dei per Christum. Et in Corinthijs, Qui factus est nobis à deo & iustitia & sapientia, ut qui gloriatur in domino gloriatur. Et in Galathis, Quotquot in Christum baptisati estis, Christum induistis.



Declarat etiã quo consilio repetat uniuersalem cum addit, Non enim est distinctio, omnes enim peccauerunt, & destituuntur gloria dei, Iustificamur autem gratis per gratiã & redemptionem quæ est in Christo Iesu.

Reprimit enim arrogantiam Iudeorum, & omnium hominum qui non agnoscunt se reos esse iræ dei & æternæ mortis propter peccatum, & gloriantur se esse sine peccato, & iustos coram deo per bona opera, & impletionem legis, nec intelligunt se opus habere illa iustitia dei, quæ fide sola, sine lege, & obseruatione legis, & per fiduciam misericordiæ & meritorum Iesu Christi constat. Deinde per terrefactos accusatione legis, & agnitione peccati, consolatur contra terrores conscientie, & argumenta propriæ indignitatis, & docet omnes homines iustificari gratis, id est sine lege & obseruatione legis, uel nihil afferre ad deũ nisi peccata, & uicissim dono quod ex mera gratia & misericordia, sine meritis & bonis operibus proficiscitur, iustificari, id est, accipere remissionem peccatorum, reputari iustos, & acceptari ad uitam æternam tantum propter redemptionem quæ est in Christo Iesu, id est, propter alienum meritum, alienum beneficium, scilicet Iesu Christi, qui placuit iram dei, satisfecit ipsius iustitiæ, & dono dedit, idq; per gratiam & meram misericordiam



cordiam peccatori & captiuo pretium redē-  
tionis, & donauit ei suam iustitiam, ut de illa  
possit gloriari quasi de propria iustitia.

Hoc donum & beneficium nunquā poterit  
pro dignitate ornari, ac ne quidem agnosci,  
sed tamen gratæ mentis est ita celebrare, ut ex  
animo confiteatur se esse destitutum gloria  
Dei, id est, gloria iustitiæ coram Deo, nec in  
conspectu eius posse ullum uiuentem gloriari,  
aut intrare in iudicium cum Deo, sine mediato-  
re & propitiatore Christo, ac proinde toto  
pectore abhorrere à diabolica illa sophistica,  
& serpentinis sibilis de merito congrui ante  
gratiam & de merito condigni post gratiam,  
homines iustificari sine lege, id est, ceremonijs  
sed non sine lege morali, Homines iustificari  
gratis per gratiam, id est, per charitatem in-  
fusam, & fidem formatam charitate, & hanc  
charitatem esse æquiualentem iustitiæ origina-  
li, atq; ita homines posse satisfacere legi Dei  
per gratiam, id est, charitatem, sicut primi pa-  
rentes per iustitiam originalem. An non pu-  
tas spiritum sanctum, cum loqueretur per os  
Pauli, intellexisse hanc subtilitatem, & potu-  
isse sic dicere, Iustitia Dei per charitatem, uel  
per fidem formatam charitate, in omnes & su-  
per omnes, qui bene operantur? Item est ma-  
gna distinctio, quia non omnes sunt peccato-  
res, nec destituuntur gloria Dei? Item iustifi-

B S cantur



cantur gratis per charitatem infusam, quæ est  
formalis iustitia & forma fidei.

Præuidit spiritus sanctus hanc sophisticã, &  
ex diametro cū ea pugnat Paulus, & opponit

Merito congrui sine lege, &  
& condigni illa gratis p̄ gratiã

Item huic

Homo iustificatur p̄  
opponit hanc  
charitatem infusã

Iustitia Dei  
per fidẽ Ie-  
su Christi in  
omnes & su-  
per omnes q̄  
credunt.

Et pugnant ista

Charitas infusa est  
æqualens iustitiæ  
originali, & ope-  
ra ex charitate fa-  
cta satisfaciunt le-  
gi

Iustificantur do-  
no p̄ misericor-  
diã & p̄ redem-  
tionẽ, quæ est in  
Christo Iesu, quẽ  
proposuit deus

ppitiatorẽ per fidẽ in sanguine ipsius.

Præuertit etiam Paulus argutias humane  
rationis, deus sic est misericors, ut tamen sit iu-  
stus, Igitur oportet nos satisfacere pro pecca-  
tis, uel in uita, uel in purgatorio. O caliginẽ  
& crassam ignorantiam, quæ clara uerba non  
assequitur, per redemptionem quæ est in Chri-  
sto Iesu: Imò ò securitatem & indolentiam quæ  
neq; sentit



neq; sentit neq; intelligit magnitudinem iræ  
Dei pro peccato tantã esse, ut cum nihil fuerit  
in humanis uiribus, aut tota rerum natura,  
quod ei opponi possit, & eam placare, oportuerit  
filium Dei fieri uictimam pro peccato,  
& persoluere redemptionem pro humano ge-  
nere. Sed hæc est ingratissimorum gratia,  
quam referunt suo redemptori, ut cum Deus pa-  
ter eum proposuerit propitiatorem, & ipse  
hunc honorem interueniente pretio sui san-  
guinis emerit, tribuant propriam gloriam fi-  
lij dei operibus manuum suarum, & meritis  
ac intercessionibus hominum mortuorum.

O ingrate non afficeris hoc beneficio, quod  
uox sanguinis fratris tui, filij Dei, quem tu tuis  
peccatis interfecisti, pro te intercedat? an non  
metuis quod contra te clamabit in coelum, si  
hunc conculcaueris?

Cain semel effudit sanguinem fratris sui A-  
belis, qui contra eum clamauit in coelum, tu  
non solum per omnem uitam, & innumera pec-  
cata effundis sanguinem Christi, sed pro tua  
redemptione & reconciliatione à filio Dei effu-  
sum, quantum poteris uel cogitatione, uel ser-  
mone, uel scripto negas pro te effusum esse,  
uel te meruisse peccatis tuis, ut pro te funde-  
retur, uel Deum tanti facere effusionẽ sangui-  
nis sui filij, ut præferat eam tuis satisfactioni-  
bus (taceo quod cupias eorum sanguinem effu-  
sum, qui



sum, qui tantam contumeliã Christi ferre non possunt) & putas eum iam in cœlo sedentem non uindicaturum esse has blasphemias?

Sed omissis interim blasphemijs dicamus Paulum uocare Christum Ἰλασῆριον, ut sciamus propitiatorium in ueteri testamento significasse Christum, qui est umbraculũ tegens nos ab ira Dei, & Deũ extra Christum non uelle cognosci aut coli: Sed per eum, & fidem in sanguinẽ ipsius propitium esse, & remittere peccata, non per fiduciam nostrarum oblationum & satisfactionum.

Hanc esse Pauli sententiam, scilicet iustitiam Dei tam seueram & extremam esse contra peccatum, ut uoluerit eam ostendere sumto supplicio de proprio filio, qui supplex fuit pro genere humano, & quod oportuerit illũ sanguinem suum fundere, ut possit esse propitiator, & quod nulla alia unquam fuerit uictima inde ab origine mundi, quæ potuerit delere peccatum. Manifeste ostendunt hæc uerba, ad ostensionẽ iustitiæ suæ per remissionem præcedentium peccatorum in patientia Dei, ad ostensionem iustitiæ suæ, in hoc tempore, ut sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.

Si hæc non est ἐνδειξις & ἀπόδειξις ac demonstratio ocularis seueritatis & iustitiæ Dei, nescio quæ unquam esse poterit, scilicet quod propo-



quod proposuerit filium propitiatorem, interueniente ipsius sanguine, inde usq; facta in paradiso, Semen mulieris conteret caput serpentis, & nulla alia unquam satisfactione uoluerit placari, & quod multa patientia tulerit, ac nunc ferat peccata furentis mundi, ut demonstret iustitiam suam in seruata promissione de filio futuro uictima, & ut ipse sit iustus & in puniendo peccato per mortem filij, & in iustificatione peccatorum per fidem in Christum, iuxta suam promissionem.

Agnoscamus igitur nos esse iniustos, & seueritatem iustitiæ Dei erga peccatum metuemus, fateamur nos esse reos, & indigere Deo nos iustificante per propitiatorem, hunc etiam amplectamur, & iustitiam nobis oblatam in sanguine ipsius per fidem ad nos applicemus, & hanc ostensionem iustitiæ Dei ostendamus nostra confessione & prædicatione gratuita misericordiæ. Confiteamurq; cum Davide & Daniele omnium hominum iustissimis: Tibi domine tantum sum peccator, Tibi iustitia, nobis autem confusio faciei.

Detrahit enim Deo gloriã donatæ iustitiæ q̄ contendit se esse iustum corã Deo ppria uirtute, sicut Paulus sonantibus uerbis ait: Ut sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu. Ut enim solus Deus bonus est, ita solus Deus iustus est. Omnes homines sunt natura &  
re ipse



re ipsa mali & iniusti, & tantū dono per gratiam boni & iusti, hoc est, acceptantur & iusti ac boni pronunciantur gratis, per misericordiam & fidem in Christum.

Hanc esse sententiā huius dicti: Vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu, monstrat sequens epiphonema & exostulatio. Vbi est igitur gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? operum? Non. Imo per legem fidei.

Lex fidei, & lex operum Hæbraica phrasi significant doctrinam de fide, & iustitia fidei, & doctrinam de operibus, & de iustitia operum.

Hæc sententia, Exclusa est gloriatio tua per doctrinam fidei, pugnat ex diametro cū doctrina Monachorum, de merito condigni. Clare enim affirmat Paulus promissiones legis habere annexam conditionem impossibilem de impletione legis.

Epiphonemati subiecta est conclusio, in qua repetitur principalis propositio exclusiua, Colligimus, uel ratiocinamur (Ita enim uertendum est uerbum λογίζομεθα) hominem iustificari fide, absq; operibus legis. Hic enim exponentes exclusiue propositionis, Sola fide iustificamur, expresse posuit. Ita enim hæc exponitur iuxta pueriles regulas Dialecticas, Iustificamur fide, & nulla alia uirtute, quam fide.



quam fide.

Supra autem refutauimus Pharisaicum commentum, quod interpretatur opera legis, de solis ceremonijs ex ipso Paulo, & contextu orationis, ac sanctis patribus. Et ea quæ immediate sequuntur, clare illud refutant, An Iudæorum deus tantum? An non & gentium? Certe & gentium. Quando quidem unus deus qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.

Vt igitur gentes iustificantur fide, & non per opera moralia, ita etiam Iudæi. Et ut ante in accusatione est exæquatio Iudæorum & gentium in impietate & iniustitia: Ita hoc loco est exæquatio eorum in remissione peccatorum & iustificatione.

Vt Prophetæ, Christus, & Apostoli obiurgabant Pseudopphetas, Phariseos, & Hypocritas: Ita nunc nobis negotium est cum Sophistis & Monachis de remissione peccatorum, & de iustitia hominis coram Deo.

Sophistæ & Monachi docent, homines mereri remissionem peccatorum, & iustos esse, id est, acceptos Deo propter bona opera, & disciplinam, & hanc putant legi satisfacere: Ideo honorem Christo debitum transferunt ad opera manuum suarum. Econtra nos dicimus, dari remissionem peccatorum, seu reconciliationem, & reputari homines iustos, id est,

id est,



id est, acceptos deo propter Christum gratis.  
Est enim hic honos proprius filij Dei, sicut su-  
pra dixit, Vt sit ipse iustus, & iustificans eum  
qui est ex fide Iesu. Deinde sophistæ & mo-  
nachi docent, hominem semper debere dubita-  
re de gratia Dei, & remissione peccatorum,  
propterea quod nemo scit, utrum amore uel  
odio dignus sit. Hic eorum error plane est  
ethnicus, qui delet agnitionem filij Dei, & ap-  
plicationem promissionum ipsius, & tollit  
consolationem conscientijs, & ueram inuoca-  
tionem, quæ cum dubitatione consistere non  
potest. Econtra nos docemus, agentibus  
pœnitentiam necessariam esse fidem, qua statu-  
ant se accipere remissionem peccatorum pro-  
pter filium Dei gratis, Sicut docet articulus  
Symboli: Credo remissionem peccatorum.  
Hac enim fide fit applicatio promissionis in  
Euangelio traditæ. Hanc fidem affirmamus  
non solum notitiam esse, aut assensionem in ge-  
nere, sine applicatione ad personam, qualis  
est in impijs, sed fiduciam requiescentem in  
Christo, iuxta promissionem, qua fiducia con-  
scientiæ habent pacem, & accedunt ad Deum  
inuocant, & uiuificantur spiritu sancto, qui  
clamat in ipsorū cordibus, Abba pater,  
& testificatur eorum spiritui, quod  
sint filij dei.







5. Sep. 1985

20. Sep. 1989



Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

27. AUG. 1996

digitalisiert PPN: 30359828X misc. 5

SÄCHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0373128



